

his Rex invitatus, urbe integra potitur, eamq; ii Calendas Aprilis ante  
 sacrum palmarum diem cum suo Guiberto Pseudopontifice ingredi-  
 tur; à quo Henricus festo Paschatis Imperatorem se inungi iussit, &  
 cum Coniuge sua Bertha in Vaticano de more coronari. Tam vana  
 coronatio, quàm profanus Pontifex. Quibus rebus peractis, Roma  
 discessit Rex, relicto in ea Pseudopontifice cum præsidio militari.  
 Haud multo post Robertus Viscardus Nortmannus, Apuliæ Dux, à  
 Pontifice imploratus urbem armatus ingreditur, & Pontificem in-  
 censa urbe educit in Cassinum Cœnobium, atque inde Salernum,  
 ubi in quiete sanctissimam vitam egit; ob quæ Rex simul, quod to-  
 tum fere exercitum lues absumpserat, fugienti similis mense julio in  
 Germaniam properat longè gravioribus defectionibus concussam.

Nam Hermannus Rex majorem anni partem versatus in Sax-  
 onia, Christi Natalem & Pascha in ea celebravit; convocatisque  
 Episcopis & Principibus primùm Saxones, deinde ceteros per Ger-  
 maniam Catholicos Principes sibi fœdere illigavit adversus Henri-  
 cum Regem ex Italia redeuntem. Stabatque non minus armata Sue-  
 via, quàm Saxonia, gens arcto hæctenus vinculo sociata. Et Henricus  
 Rex, postquam Germaniam ingressus, reperit Suevorum exercitum  
 sibi objectum ad Lycum fluvium, nec ausus congredi, Ratisbonam  
 deflexit. Unde Moguntiam petijt ob excessum Sigefridi Archiepisco-  
 pi. Hunc quia ex Orthodoxis sibi adversantem habuerat, sollicitus  
 erat de alio suæ factionis Archiepiscopo reponendo; in ejusque lo-  
 cum, congregata Schismaticorum Episcoporum multitudine, subro-  
 gavit Weclonem Clericum Halberstadiensis Episcopi fugitivum, non  
 ob alia merita, quàm quòd sibi in omni pertinacia adversus Grego-  
 rium Pontificem, & sedem Apostolicam fidum adiutorem habuisset,  
 qui idcirco jam dudum ob hæc facinora à Pontifice anathemate per-  
 cussus erat; ita reliqua pars anni ab utroque Rege in attrahendis Epi-  
 scopis & Principibus bellicque provisu occupata.

Hoc anno Poppo Paderbornensis Episcopus noster Metropoli-  
 tanum secutus, felici morte excessit è numero mortalium, gesto in  
 nonum annum præclara cum laude Episcopatus munere. Cujus hoc  
 elogium inter cetera, quòd licet ab Henrico Rege ad Episcopatum  
 provectus fuerit, nunquam tamen ejus consilia factaque probarit.  
 Quare Saxonico fœdere junctus constanter semper Orthodoxorum  
 partes tenuit; Divumque Altmannum Pataviensem Episcopum Apo-  
 stolicæ sedis legatum diu apud se Paderbornæ exulem magna caritate  
 excepit, nihilque veritus Henrici Regis odia & minas, multis benefi-  
 cijs coluit; à quo sanctissimo hospite quid aliud, quàm veterem in  
 clero disciplinam à Meinwerco, Rothone & Imado traditam, ac Ro-  
 manæ sedis observantiam discere poterat? Gobelinus & Crantzius  
 licet ad hunc annum retulerint Popponis obitum, falluntur tamen,  
 dum

Henricus  
 à Pseudo-  
 pontifice  
 Impera-  
 tor coro-  
 tur.

Mortuo  
 Sigefrido  
 Archiep.  
 Mogunt.  
 substituit  
 Weclonem.

Obitus  
 Popponis  
 Ep. Paderborn.  
 Gobelinus  
 atar. 6. c. 55.  
 Crantzius  
 lib. 5. Me-  
 trop. c. 23.